

*bula modernis et posteris per presentem paginam declaretur. Scendum igitur est, quod dominice incarnationis anno M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XLIII<sup>o</sup>. Indictione prima. XVII<sup>o</sup>. Kl. Maii consecrata est hec ecclesia cum suo altari a domino Ruodgero uenerabili Sancte patauiensis ecclesie Episcopo in honore summe et indiuidue trinitatis. et uictoriosissimi ligni Sancte crucis. et Sanctissime genitricis dei Marie. perpetue uirginis. & omnium Sanctorum. Specialiter autem in honore gloriose uirginis & genitricis dei Marie. Transposita est autem ipsa dedicatio a suprascripto reuerendo antistite usque in diem translationis sancti Martini episcopi et conf. (4. Jul.) qua in die singulis annis sollempniter est celebranda. Habentur autem in altari reliquie iste. De ueste ipsius gloriose uirginis Marie. De ligno Sancte crucis. Et sanctorum Petri et Pauli apostolorum. Andree apostoli. Philippi apostoli. Bartholomei apostoli. Marci euangeliste. Stephani protomartiris. Laurentii mart. Georgii mart. Viti mart. Lamberti episcopi et mart. Fabiani et Sebastiani mart.*

Adjiciam etiam e calce Codicis Chartam Venditionis Sec. XII. exaratam: *Notum facimus omnibus Christianis tam presentibus quam futuris, quod quidam nobilis homo Eberhardus nomine de nueban uendit predium quoddam in baselowe domino Hermanno abbati de bomgartenberge delegandum super altare sancte dei genitricis semperque uirginis marie in bomgartenberge a domino Alberto eiusdem*

*loci aduocato. qui est de berge. quod et fecit. et huius delegationis testes sunt. ipse Eberhardus de nueban. Irinfridus de ratelenberge. Cuonradus de ascabe. Nizo et frater eius de birchinuelde. Poppo de narden. Hanricus de hobenberge. Wichardus. Porno. Pilgerimus de croteltale. Albrecht de tiemenich. Otaker et gerboto de arbingen. Luodewicus et filius eius Reinoldus de fridehalmesdorf. Albewin gener predicti luodewici. Herbort de arbingen. Gotefridus de nestendorf. Reinfrid cognomento flaminc. Gundolt de halvesnobelensteine. Gotefalchus de inerenuelde. Egelsalchus de choulube. Gotefalchus de arbingen. Helenwic de inerenuelde. Plura ex adductis Locis etiamdum supersunt paullum mutatis, ne dicam, exasperatis nominibus elisione uocalium, quibus olim animata lenius ab ore fluebant.*

## CCCLXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 306a XII. Folior. 169. f. per duas columnas, utut non una manu, praeclare tamen exaratus, minio distinctus, olimque, ut non uno praeferat loco, *Sancte Marie in boumgartenberge*, id est, *Montis Pomarii*, potius *Pomarii Ord. Cist.* in super. *Austria* continet D. *Gregorii M. Moralia in Job a Libro XXVII.* usque ad finem. In fronte notatur: *Iste liber XXVII<sup>o</sup>. non legatur in refectorio, quia lectus est in precedenti uolumine.* Fortassis ideo, quia ad *Partem V.* totius Ope.

Operis pertinet; *Pars* enim VI. et ultima a *Libro* XXVIII. auspiciatur. Textus editioni *Maur.* T. I. a col. 853. probe consonat. Ad calcem totius Operis litera quadrata, quae etiam Librorum initia: *Explicit Expositio Beati Gregorii Papae Urbis Romae In Job. Libri XXX<sup>a</sup> V. Per Moralitatem Explanati.*

Codici utrinque tegendo, quod dolendum, striatim scissae deseruiunt Membranae Seculi IX. quibus commissi erant *Augustini Tractatus in Iohannis Evangelium*, et quidem extrema *Tractatus* I. et Initium II. deprehendere licet; sed nempe culter ad perpendicularum columnas secuit.

## CCCLXXVII.

R. 3168 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 178. f. maj. per duas columnas eleganter exaratus et coloribus illustratus idem Opus a *Libro* VI. ad XVIII. exhibet, adjuncto Syllabo omnium Textuum Biblicorum a *Genesi* usque ad *Apocalypsin*, quibus *Gregorius* in hac *Moralium* parte usus est. Codicem hunc hominis a Sacris catholicis alieni κτημα quondam fuisse docent, quae verbis Autoris L. 18. c. 48. n. 79. nobis fol. 167. p. 2. *Quam profecto sapientiam ille ueraciter agnouit, qui mediatori dei et hominum aliquem comparare sanctorum minime praesumpsit; ad-*

jecit in margine. Audi naeniam: *Ecce! Quare igitur sancti ut intercessores invocantur, aut omnino invocantur ullo modo? Nonne hoc est illos et illas æquiparare Christo Mediatori inter Deum et homines? Nimis pertinaciter et libenter erramus, et Deo honorem suum Christoque blaspheme detrahimus. Quid igitur notasset bonus Vir ad C. XLII. Jobi v. 8. Job autem seruus meus orabit pro uobis. Faciem ejus suscipiam &c. si Codex eousque pertinuisset?*

## CCCLXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 565 faltem XI. Folior. 157. 4. min. eleganter perscriptus, rubro flavoque distinctus, optime servatus, et quondam *Job. Fabri Praefulis* nostri complectitur *Επιτομην Librorum XXXV. Moralium in Job. B. Gregorii M. Dum Monachi Mauriani* Patris hujus editionem parent, nulli pepercerunt operae in conquirendis monumentis, quae aliqua ratione referrentur ad *Gregorium*, atque in his T. I. *Parris.* 1705. f. in *Praef. ad Libros Moralium* recensuerunt *Epitomatores* VII. Verum Fortuna Libraria Nostrum illis invidit, eapropter curatius hic tanquam ἀνεκδοτον, imo ignotum describendum. Primo dabo Prooemium. *Prooemium uerborum sequentium.*

Mell) fluenti) uerba sequenti) suscipe lect)

Reic) lubric) querito celic) splendifica c)

Ggg 2

Huius